

Aduertencias para

addit tamen modo non desit illi copia Confessoris, dicens, quod sine necessitate virginale Sacerdos absq; prævia Confessione celebraverit: post celebrationem tamen, quam primum confiteatur necesse est. Et in hoc casu deest copia Confessoris iuste a Superioribus negata, ne peccata grauia extra Religionem reuelentur. ¶ Neque his obstat indulsum Innocentii septimi Prædicatoribus concessum relatum a Collectore Compendii Cistertii, ubi dicitur. Monachos extra Monasterium Ordinis existentes de licentia Superiorum cuicunq; Regulari, seu seculari Sacerdoti confiteri posse, cum eo casu a quocunque criminе quomodo cum que reseruato, sicut Confessores Ordinis eos absoluere, & cum eisdem dispensare possunt. Nam respondetur, q̄ hęc obiectio facit pro nostra sententia. Quia enim in licentia generali concessa a Prælatis Fratribus itinerantibus aut extra Monasteria existentibus non cēsetur cōcessa eisdē facultas, ut possint absolvi extra Ordinē, præsertim presbytero seculari a casibus reseruatis. Ideo Innocentius cōcessit, vt tales Confessores a quocunque casu reseruato possint ipsos Religiosos